

De excidio Castiluncl^[a] et Susinanae^[b] et terrae^[c]
Petri Pagani^[e].

CAP. CXXVIII.

Post inefabilem^[d] genitricis Dei partum anno MCCVIII, quia Petrus Paganus nolebat obediens Gerardo Rolandini potestati, ut^[e] juramento tenebatur, equitaverunt Faventini Susignanam^[e] ^[A] et in plebatu de Mulleo^[f], incidentes vineas et arbores antiquissimas, comburentes messes et alia pertractantes hostilia^[g], quae ante illum nullus tentaverat^[h] ob locorum difficultatem et asperitatem viarum. Anno eodem^[i] destruxerunt in mense Decembris Castilonclum praedicti Petri castrum. Deinde ipse Petrus venit ad mandatum civitatis, omni pactione remota.

Quando Faventini iverunt in servitium Bononiensium super Mantuanos^[k] et quando Marchio expulit Salingueriam filium Taurelli de Ferfaria.

CAP. CXXIX.

Anno Domini MCCVIII cum Mantuani obsiderent Suzaram castrum Reginorum^[i] ^[j], quod situm est inter districtum Regii^[j] et Mantuae^[k], Regini invitaverunt Bononienses; quibus Bononienses honorifice volentes succurrere, in suum servitium Faventinos una cum Imolensis vocaverunt. Post quam vocationem nostris gratissimam^[k], coneratis pluribus mille plaustris victualibus atque armis, præparatis etiam omnibus ad expeditionem pertinentibus, infra v dies Faventini juxta Burgum Novum hospitati sunt. Deinde ad praefatum castrum pro voluntate iverunt Bononiensium. Quo Mantuani audito, Veronenses, Ferfarienses atque marchio Azolinus^[l], dimisis mangulis circum castrum praedictum, fuga evaserunt præcipiti. Sic quoque tempore illo, in partibus illis magnificatum est nomen Bononiensium, qui cum carfatio et tot et tabulis amicis Reginis succurserant, expellendo ab eorum castro tot cum tanto marachione populos. Hic enim marchio Azolinus de Este^[m], occasione dissensionum quae consueverant esse in civitatibus, Veronam tempore illo ceperat atque Ferfariam,

[a] Castiluncli. Sic C. M., vulgo Castiglionco. — [b] et Susinanae. Sic Codd. — [c] et terrae. Sic C. M. An omittendum et? — [d] Post inefabilem. Sic corrigo. Post inefabile, Codd. — [e] Faventini Susignanam, C. M.; Faventini Susinanam, C. V. — [f] in plebatu de Mulleo. Sic Codd. et Tondutius. — [g] et alia pertractantes hostilia, C. M.; et alia pertractantes hostiliter, C. V. — [h] ante illum nullus tentaverat, C. M.; antea nullus ante illum tentaverat, C. V. An legendum ante illos etc? — [i] Reginorum. Sic Codd.; id est, Regensium. — [j] Regii. Sic Codd., id est Regii Lepidi, vulgo Reggio di Lombardia. — [k] nostris gratissimam, C. M.; sed deest in C. V. — [l] Marchio Azolinus. Sic Codd. — [m] de Este. Sic lego. Codd. habent, de Est, etc.

[A] Susinana erat in Apennino, prope flumen Sennium.

[B] Suzara, vel Suzzara, locus est non procul Liceria, vulgo Luzzara, in ducatu Mantuano.